Ad Sac. Reg. Ma jeſt. POLONIÆ Illuſtriſs. & Excellentiſs. Dni Legati Suecici EPISTOLA.

Quâ oſtenditur quàm vanis rumoribus nonnulli qui Reciæ malevoli ſunt, Polonis imponere conentur.

Serenissime & Potentissime REX.

DUm Sac: Reg: Maj: Vestra Clementiæ suæ famâ, avulsa diu à Rep. Polonâ membra, sub ditionem suam revocat, victriciumq́; armorum successu, immanem Christiani Orbis hostem à finibus hujus Regni arcet, cladibusq́; subactum frangit domatq́ue: nondum frui mihi contigit libertate illâ quam Majest: Vestra mihi concessit in Sueciam redeundi, partim ut successum legationis Regi & Domino meo referrem, partim, ut ijs quæ fœderi arctiori inter Majestates Majestates Vestras Vestras faciendo deserviunt, planiorem viam struerem: Cujus ineundi consilium quoniam pari utrinq́ue animorum consensu susceptum est, & ad DEI gloriam Pacisq́; æternæ conservationem, amicitiæq́ue perpetuæ augmentum dirigitur, omninò spe-

rare convenit, D.O.M. favore illud tandem ad effectum optatissimum perductum iri, non utriusq; modò Regni, sed universi quoque Christiani Orbis commodo saluti & emolumento. Obstitit itineri meo in Sueciam hyemale tempus & maris ventorumque inclementia, cui nulla vela sese committere ausa sunt, horrentia scilicet adhuc ad tot tantorumque naufragiorum miserabilem adspectum, quibus æquora omnia, sed Balthicum præ reliquis magis, proximè jam elapsis autumni spatijs, funesta ubiq; sparsarum ad brevia, mersarumq; navium clade, strageque editâ, furentibus & sævientibus ultra modum ventis implebantur. Nec terrestre mihi iter tutius recludebatur, utpote cui nec Borussia Ducalis in Livoniam, necessitate id tùm fortè exigente, nec in Germaniam & ultrà tendenti Pomerania patuerit, quà per Serenissimi Domini Electoris Brandeburgici terras eundum erat; repulsam videlicet passus sum, cùm à Celsissimo Domino Duce Crojano, ut mihi liberum & ab omnibus periculis tutum iter, beneficio salvi conductûs præstaret, requirerem. Adversa præterea nonnunquam, & aliquot jam mensium tempore infirmior valetudo, aliaque nonnulla, quæ præter spem & expectationem accidere, meditanti profectionem, moras, & quasi manus injecerunt. Inter quæ primum potissimumq; locum obtinent varij animorum motus, affectus & habitus, qui apud nonnullos in Poloniâ sese exserunt, planè diversi nonnunquam ab ijs, quos à civibus amicæ nobis cognataque gentis, vel ex merito suo speraret Sacra Regia Majestas Sueciæ Rex & Dominus meus Clementissimus, vel ex rerum & negotiorum in Europâ statu, conditione & ordine quisquam erueret. Inutilis ille,

ille, vel ut meliùs dicam improvidus pavor, qui ad motum Suecici exercitûs ex Pomeraniâ in Marchiam, aliquando etiam in odium Sueciæ, gratiamq; adversariorum compositus, quandoquidem vero major, non illos tantùm ad quos aliquâ ex causâ pertinere videri posset, sed & alios qui ab eo remotiores sunt, invasit, & etiamnum occupat, sive ut rei nomen suum constet, à quibusdam avidè arreptus est; nec intra metas hæsit sed latiùs vagando in Poloniâ quoq; & Lithvaniâ ac Borussiâ nonnullos sine causâ perculit. Sac. Reg. Majest. Vestra dubio procul aliundè jam dudum intellexit, & ab exemplo literarum quas Sacra Regia Majestas Sueciæ, ad S. Rom. Imperij Electores Principes & Status scripsit, quod hisce meis adjungitur luculentiùs perspiciet, quibus ex rationibus Sac. Reg. Majest. Sua, Serenisс. Electori Brandeburgico, diversa & aliena ab eo sentienti, quod ex fœderum quorundam legibus & præscripto sequi tenetur, arma sua saltem ostendere, militemq; per terras Electorales in hospitia disponere permota fuerit. Pluribus ea Majestati Vestræ explicare me vetat ipsa negotij conditio, quam literæ Regiæ abundè aperient, & Majest. Vestræ Prudentia & candor, quorum illa non poterit non annuere Regi Dominoque meo, qui non severioribus medijs quàm quæ amicitiæ nomen retinere ejusq; nodos arctiùs constringere possint, Dominum Electorem, ad officij ex fœdere debiti observantiam allicere & invitare conatur. Alter quemadmodum ab omni aliâ re, undè vera sinceraque amicitia sequius afficitur, ita quoq; ab omni sinistrâ suspicione aversus, sine temporis momentique interjectu, sentiet, probabit atque effabitur, iniqua Sueciæ & absurda affingi, quæcunque vel de

 inten-

intentione ejus, bella ex bellis ſerendi, ditiones Electorales in Imperio, vel extra illud ſitas, occupandi, ſibiq́ue retinendi, aut Poloniam directè vel indirectè turbandi, offendendi aut lædendi, ab adverſarijs virulenter ſparguntur. Abſolvunt Regem & Dominum meum, ab omni ejusmodi figmentorum notâ, ardens & indefeſſum ſtudium, quo Majeſtas Sua, nulli curæ labori ſumptuiq́ue parcens, & propria commoda publicæ Europæi Orbis quieti poſtponens, remiſſiusq́; reſpiciens, immanes belli fluctus & tempeſtates, quæ gentes terrâ pelagoq́ue potentiſſimas, concuſſerant & ferè merſerant ante aliquot annos feliciter compeſcuit & ſedavit. Atq́; etiamnum pari animo affectuq́;, & inexhauſtâ ſollicitudine, ultrò ac liberaliter in rem communem confert, quidquid unquàm officiorum conſiliorumq́; conducere, ullo modo queat pacandis belligerantium in Europâ Principum Statuumq́; animis, extinguendoq́; feralis hujus belli incendio, quod fortè ipſum orbem univerſum lato complexu demùm ruinis involveret. Nec ab hiſce Auguſto ſuo faſtigio dignis conatibus dimovetur, etſi nonnulli tanto favori totq́; meritis & beneficijs undè ſervati ſunt, & creverunt, haud æquam dignamq́ue gratiam relaturi eſſe videantur. Electorales terras eo animo miles Majeſt. Suæ ingreſſus eſt, non ut Domino legitimo pereant, ſed ut Sacræ Regiæ Majeſtati Suæ, & obligationi ex fœdere contractæ Sereniſſimus Dominus Elector Brandeburgicus ſatisfaciat. Quantum verò hæc quæ inter Sacram Reg. Majeſtatem Seciæ ab unâ, & Sereniſſimum Dominum Electorem Brandeburgicum ab alterâ parte exorta eſt controverſia, ejusq́; cauſæ, rationes, momenta & conſectanea ab ijs diſtent rebus quæ Poloniam concer-

concernunt id quidem pervium est Sacræ Regiæ Majest. Vestræ sublimi judicio, quod DEUS splendidissimis Divinæ suæ sapientiæ & cognitionis radijs illustravit, quodque negotia Reip. & multa & ardua Pacis belliq; temporibus felicissimè peracta, longo usu & experientiâ perfecerunt. Nec difficulter planum erit alijs, qui eorum quæ fiunt gnari, omniq; affectu studioq; partium vacui, probant & metiuntur RES, prout illæ reverâ sunt, non verò prout apparent ex falsâ specie, quâ adversariorum nostrorum artes callidè ipsas induunt. Nota est Majest. Vestræ cunctisq; Reip. Polonæ Proceribus & membris, quàm sollicitè Suecia in hoc incubuerit, ut arctissimis, & indissolubilibus fœderum vinculis, cum Poloniâ connecteretur. Suasit hoc, imò jussit utriusq; Regni situs, constitutio rerum, necessitas, & eorum quæ ex sorte tam adversâ quàm prosperâ procedunt ad utramq; gentem, ex æquo pertinens communio. Indè tot Legati Ablegatique in Poloniam missi, & nonnulla aliundè amicorum utrique genti Principum officia prodierunt; irrito quidem hactenus conatu, cujus effectum fructumque ut alia taceam fatalis quæ Reip. huic tàm diu incubuit calamitas, maximo bonorum omnium dolore, vel morata est vel intercepit. Cujus tamen REI tàm salutaris spem, & eventûs optimi felicissimiq; fiduciam, D.O.M. favor quo Majestas Vestra ad Sceptra Polonica capessenda evecta est, itidemq; Majestatis Vestræ Virtus, Prudentia & candor resuscitârunt. Si Suecia aliâ quàm bonâ fide, hæc Consilia fovisset, si Remp. hanc turbare quàm servare, nimiùq; proh dolor, olim discordijs intestinis turbatæ, inhiare, & temporibus potius callidè inservire, quàm sapienter & honestè uti maluisset, non ea fuisset

demùm

demùm eligenda, neglectis melioribus occasio, quâ & fama gentis nostræ, & salus simul periclitarentur. Nihil mali promeritam gentem bello lacessere barbarum esset, nefarium verò, & à Christianâ fide alienum, quam religiosè profitemur & colimus, imminere Poloniæ nobis amicæ, adversus Turcas & Scythas Christiani nominis hostes dimicanti, proq; salute reliquarum gentium Europæi Orbis excubanti: Et sicuti omnes bellorum casus ancipites, nec ullus semper addictam suis armis victoriam facilè polliceatur, ita quoq; discrimine magno cariturus non esset, qui adversus Majestatem Vestrã utpote veteranum & exploratæ Virtutis & Prudentiæ, felicitatisq; summæ Imperatorem, & Exercitum ex gente planè Martiâ prognatum, continuis multorum annorum bellis exercitatum, & recentibus connexisque ex hostium strage triumphalibus sertis redimitũ, in arenam descenderet. Ut verò hoc nulli, sic certè nec Sueciæ oportunè accideret, in quã infensus illi Dominus Elector, & quos in illam porrò sollicitat Principes Statusque alij, insurgere bellumque minari videntur: ideoque illa militem ad tutandos Regni Sui provinciarumque limites potius, quàm ad aliena oppugnanda collectum dispositumque habet. Quæ, omnia cùm adeò vera & manifesta sint, ut non animo tantùm cujusq; percipi, sed & oculis planè perspici possint, mirari certè convenit quòd Poloniæ cives nonnulli, metu illo tandem non desinant vexari, quem tàm sæpè & frequenter vanum esse deprehenderunt, quoties Suecorum in se arma parari, acui stringique putaverunt. Stupendumque est quòd tandem non videant fraudulentis inimicorum utriusque gentis imposturis, sub falso simulatæ amicitiæ fuco &

inani

inani nomine, larvâq́ue ipsis illudentium indignum in modum seductos se deceptosq́ue fuisse. Dolendum certè est sobolem multorum nasci, quæ à teneris annis tàm vanis & Reip. hujus bono adversis sensibus, & metu odioq; gentis amicæ imbuta, & innutrita, in maturam ætatem adolescat. Sed adhuc magis dolendum esset, si non ij tantùm qui à negotijs publicis remoti eorumq; ignari vitam degunt, ejusmodi suspicionibus sese permitterent, sed etiam ad illos virus hoc diffunderetur, qui ad clavum quasi sedent Reip. & à quorum consilijs, ejus salus & incolumitas aliquâ ex parte pendet. Illorum simplicitati condonandum ignoscendumq́ue aliquando est, hos verò non facilè error aliquis abripuerit, utinam nec alius qui à deteriore quadam causâ emanare solet affectus transversos unquam agat. Utcunq; verò deprehenderim, multos inani formidine armorum Suecicorum urgeri, non tamen pluribus authoribus, nec dùm famæ publicæ fidem tribuo, quæ facilè imponere alijs, sed mihi persuadere vix poterit, vera esse quæ vulgò circumferuntur, scilicet extare etiam nonneminem ex Proceribus Poloniæ, qui collectũ nescio undè pavorẽ non dissimulet, & nescio itidem an quid æqui vel secus in Sueciam meditetur. Ajunt etiam relationes Gallico idiomate scriptæ, & Amstelodami publicatæ d. 14. mensis Februarij proximè præterlapsi, Warsaviâ scriptum esse d. 29. Januarij, multis ex Magnatibus Poloniæ, Suecorum, in ditiones Electoris motus parùm probari, & Reverendissimum Dominum Episcopum Posnaniensem ad Majestatem Vestram nomine omnium reliquorum scripsisse, rogâsseq́ue curaret Majestas Vestra ut Rex & Dominus meus à dictis ditionibus utpotè Poloniæ

vicinis abstineret. Quod si Majestas Vestra obtinere non posset, consilia rationesq; initum iri in Comitijs Regni generalibus, quæ huic negotio medelam convenientem sint allatura. An vera hæc sint ignoro, non credo tamen. Nec licet vera essent facilè liqueret quid sibi velint. Æquiora de Sueciâ sensurum inclitum Senatum totamque Remp. Poloniæ omninò mihi pollicentur, æquitas & ratio causæ nostræ, Sueciæ de Poloniâ optimè merendi studium & ipsa tantorum consummatæ virtutis virorum Illustrium Prudentia. Quod attinet ea quæ à privatis & paucis ad Majest: Vestram scribuntur, scio Majest: Vestram pro eâ quâ Regem & Dnũ meum amicitiâ complectitur rationes modosq; inventuram, sedandorum, componendorumque metuum sollicitudinis, & curarum, quæ uti parum temporibus & rebus conveniunt, ita Prudentiam civilem & amorem qui Sueciæ reciprocè ab omnibus Polonæ Reip. civibus debetur, authoribus sinistrarum suspicionum deesse manifestè arguunt & produnt. Utinam Poloniæ, magis legitima & necessaria certioris metûs causâ longiùs abesset, quàm quæ ex armorum Suecicorum in viciniâ degentium innoxijs pacatisque stativis sollicitè & anxiè conquiritur. Nullam Majestati Vestræ & Reip. Poloniæ controversiam movemus, neque Polonicarum ditionum ullam, sed alieni Principis terram ingressi sumus. Ergo frustrà, quæsitâque aliundè quã ex vero & necessitate, causâ domum desertis Majestatis Vestræ castris rediturus esset, quicunque Scythas Turcasque certos quos aggrederetur hostes, & in conspectum positos habens, Majestati Vestræ & Reip. relinqueret, ut vel ex Livoniâ vel alio ex loco Suecico militi sese opponeret,

de

de quo tamen venturus ſit nec nè omninò neſciret, ex nullâ autem certâ, aut probabili ſaltem, vel in ſpeciem fictâ ratione colligere poſſet, ipſum tanquàm hoſtem venturum. Regis & Domini mei miles, nihil habet negotij quod in Poloniâ agat, niſi fortè ut Majeſtatis Veſtræ & Reip. copijs ſociatus, Chriſtiani nominis hoſtem truculentum Turcam, rapaceſque Scythas ſubmoveat, modò id exigat requiratque Majeſt. Veſtra nec Sereniſs. Dominus Elector impediat, quamdiu vel Sacræ Regiæ Majeſtati Sueciæ, fœderique ſatisfacere differt vel recuſat, vel alios in Sueciam hoſtes exſtimulat & accendit: Qui ut totas Sueciæ vires eſſent occupaturi, ſic Poloniam quoq; validis ſociæ gentis auxilijs deſtitutam parùm Chriſtianè objicerent direptioni Barbarorum: Utinam & non aliorum, quos fortè improba ſpes, eoque acerbior quò magis dilata, in communionem prædæ invitante occaſione facilè avidos ſollicitaret. Quam calamitatem toti Europæ exitialem avertat DEUS. Amoliendo verò tanto diſcrimini Suecia gratuita auxilia, nullâ ſibi pactâ mercede, aut alio commodo pretioque malens lubensq; Poloniæ obtulit. Parta varijs artibus apud nimiùm credulos fides, quâ nonnulli Brandeburgicorum, vel qui ijs adhærent, in utriusque gentis & veri præjudicium abutuntur, nubem multorum oculis obducit, ſparſoq; in paucos fuco, plures quaſi veneni contagione inficit, & occupatos ſemel animos variâ fictarum rerum imagine replet, farcitque adeò, ut vero vix locus pateat. Ut alia prætercam, vidi nonnulla quæ à Brandeburgico quodam ſcripta feruntur ad ſummæ dignitatis in Poloniâ virum, in quæ plurima conjecta ſunt, quæ veritati repugnare, cùm Illuſtriſſimus & Excellen-

cellentissimus Dominus Archistrategus Sueciæ deprehenderit, idque parata sit Excellentia Sua ostendere, quatenùs fides authoribus hujus rumoris constare queat, ipsimet viderint. Inter alia quæ in odium & invidiam Sueciæ componuntur, & quorum confutationi Literæ Regiæ ad S. R. Imperij Ordines affatim sufficiunt, fingitur militem Suecicum non modestiùs agere in Pomeraniâ Reip. Polonæ pertinente, quàm in reliquis Electoralibus terris, quas magnis oneribus premi contendunt, insuperq; ut Sueci per Poloniæ terras, in Borussiam Ducalem transitu prohibeantur admonent, simulque adjicitur, plùs passuras ditiones Majestatis Vestræ si undique à Suecis cingerentur. Non dubito quin, nè quidquam neglexisse videantur, ad Majestatem Vestrã nonnulli eadem scripserint. Ut verò Majestati Vestræ de rei veritate constet, quantùm ad ea quæ adduxi momenta, inane est quod urgent Brandeburgici, dùm Marchiam exhauriri exclamant. Vivit ibi Regius miles adhuc, sub severâ disciplinâ, contentus paucis quibus se sustentet, nullæ ibi fiunt cædes, incendia, furta, rapinæ, stupra, vel quidquam præterea aliud quod militarem licentiam sapiat, quod non confestim ultrice pœnâ & supplicio rigido expietur. Talisque rerum facies est ut non tanquàm hostis sed tanquàm amicus hospes, & præsidiarius cum incolis Marchiæ & Pomeraniæ Electoralis agat, adeoque diligatur Miles Suecicus, ut ipsum sibi non graviorem quàm suos sentiant. Ideoque modestiæ famam illi non invideant, quam utinam & aliæ quorundam Principũ copiæ ab ore famæ pariter mererentur, quæ in populorum defensionem tutelamque coactæ dicuntur. Certè miles Suecicus non solutus in licentiam, nec socijs gravis, neque

que amicis metuendus, sed hostibus, ut Pacem Imperio & Europæ paret, nullam genti ulli solitudinem & vastitatem est inducturus. Pomeraniam quod attinet, certè Butaviensis & Lavenburgiensis terræ, nulla eo tempore senserant incommoda, cùm in vulgus spargeretur, eas non modestiùs haberi, nec Suecorum manipuli ad illas penetraverant, quibus etiamnum vacuas illas esse existimo. Diu anceps dubiusq; hæsit Illustrissimus Dominus Archistrategus Sueciæ, an in has etiam terras militem suum mitteret, sed cùm intellexisset, ex dispositione pactorum Bidgostiensium directi supremiq; dominij jus D. Electori Brandeburgico in illas terras quæsitum esse; nec quidquam Reip. Polonæ ab Electore deberi, nisi ut certo modo feudale jus recognoscat, utque extinctâ lineæ Electoralis sobole masculâ; hæ terræ Reip. restituantur. Nihil præjudicij ulli, nedum Majestati Vestræ aut Reipub. fieri ex eo posse Illustrissima Excellentia Sua censuit, si usumfructum, qui ad Serenissimum Dominum Electorem pertinet, & de quo Vasallus quilibet, permittente idipsum jure feudorum, invito etiam Domino paucissimis casibus exceptis pro lubitu disponere potest, in usus & sustentationem militum suorum converteret, per omnia integris salvis & illæsis juribus Majestatis Vestræ & Reip. Polonæ, quæ nondum ex ullâ aliâ re affici possent nisi ex occupato directo Dominio, quod nullâ extante amplius Electoralis domûs prole masculâ Serenissimis Regibus & Reip. Polonæ aperietur, & cum bonis ejus consolidabitur. Quem casum adeò in sæcula plura dilatum iri credibile est prout certum planumque est, Sueciam ut nunc nullius aliûs terræ Electoralis sic minus harum desiderio teneri, quandoquidem aliundè

 ipsi

ipsi debito modo satisfiet. Interea terræ istæ, licet à reliquo Reip. corpore ad tempus longissimum imò forsitan ad consummationem sæculi usque avulsæ sint, nec ijs fruantur juribus & immunitatibus, quibus reliqui Reip. cives gaudent, scilicet cùm carere dicantur voto & sessione in Comitijs generalibus Regni, nec ipsis ad provocationem ulteriorem, sive appellationis instantiam jus pateat, ratioque gubernationis ea sit, quæ fuit sub Ducibus Pomeraniæ, non autem ea qualis fuit sub Serenissimis Regibus Poloniæ. Præterea, cùm stativa, metata, ac salgama debitum, sine omni præ cæteris ditionibus prærogativâ Dominus Elector per militem suum ab ijs exegerit, ideòque eâdem quâ reliquæ Electorales ditiones ratione ad alendum militem Suecicum possint permoveri, hæc tamen omnia non obstabunt quò minùs Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Archistrategus Sueciæ, mitiùs cum illis acturus sit, quàm cum reliquis Electoralibus terris, ut sentiant omninò sese hanc gratiam debere, memoriæ Serenissimorum Regum, Reique publ. Polonæ, quorum olim subditæ fuerunt. Quinimò si summa necessitas Illustrissimam Excellentiam Suam non coegisset in subsidium vocare has terras, reliquis Provincijs quæ alendo aliter militi diu non sufficerent, ob abactam scilicet Gedanum aliaque in loca ab ijs annonæ maximam vim, suppellectilemq; domesticam, & pecudes, planè penitusque terris hisce Excellentia Sua pepercisset. Quô verò Majestas Vestra & Resp. Polona universa videat, quantùm ipsorum considerationi tribuatur, quamque prona sit Suecia, omnia ea præstare officia, unde sincerus erga Poloniam affectus suus magis magisq; elucescat, deniq;

quàm

quàm longè ab eo omni absit, quodcunque Majestati Vestræ & Reip. Poloniæ vel minimam offensionis ansam vel causam præbere queat, Illustrissimus & Excellentissimus Dominus Archistrategus Sueciæ Illustrissimo Domino Palatino Pomerelliæ fidem plenam dedit, quòd si militis Suecici in istis terris hospitatio Majestati Vestræ & Reip. Poloniæ parum probabitur, statim Excellentia Sua parata futura sit, aliundè militi de victu prospicere, communi vero Regioq; Majestatis Vestræ calculo exemptas provincias nullas inposterùm molestias esse subituras. Transitum copiarum Regis & Domini mei quod spectat, ut in alijs convenientiæ rationis, sic sibimet ipsi judicioq; suo Brandeburgicus quidam repugnat. Ait Suecos procedere ultra Albim, in occursum Electori, quem ut ditionum suarum liberatorem remeantem ex Franconiâ adfuturum refert. Si Suecos Sereniss: Dominus Elector ex Marchiâ ejiciendi periculum fecerit, nequicquam de Borussiâ sollicitati erunt sui. Et si Sueci ad Albim usque vel ultrà processerint, ut Serenissimum D. Electorem occupent, nulla ipsos annonæ penuria premet, nec ratio ulla permittet, ut bipartitum divisumque exercitum, magnâ ejus parte in Borussiam Ducalem missâ opponant Sereniss: D. Electori, ducenti ex hybernis opimis, florem Germanici Martis lectissimum, & tantas copias sociorum, ad quas etiam accedent illæ, quas à Majestate Vestrâ repetit, & quæ Turcas Scythasque profligaturæ essent, in nos convertit. Verùm si ratio aliqua urgeret suaderetque ut in Borussiam Ducalem iretur, tunc, quemadmodum jure gentium innoxius & sine maleficio transitus, denegari vix possit, nec pacta particularia juri illi præjudicent quæ alicui

deben-

debentur, ex normâ juris gentium, sic nihil eorum quidquam in nobis desiderari pateremur, quæ sunt consentanea observationi juris gentium, Sacræ Regiæ Majestatis Vestræ dignitati auctoritatique, & amicitiæ, quæ Sueciæ cum Poloniâ intercedit. Sed tamen in Borussiam nec Ducalem quidem copias nostras ituras esse non credo, & quamvis illa quoque, jam sese ad Majestatem Vestram & Remp: Pol: tanquàm ejus membrum referat, non tamen merebitur fortè eam gratiam, ut tanquàm terra Polona à nobis debeat æstimari. Scio quo casu modoque ad Reip. corpus reverti debeat. Interea tamen dùm fortè in sæcula sæculorum illa à corpore Reip. separata Serenissimo D. Electori, jure supremi Dominij cum summâ atque absolutâ potestate, subjecta est, & Serenitas Sua Electoralis, actu ipso jura illa plenè exerceat: gratulor metum illum quem ab armis Suecicis sibimetipsi inspirat saltem hoc effecisse, ut videat & agnoscat quantum commodi & emolumenti sibi ab eo sperandum esset, si ad Majestatem Vestram & Remp. Polonam pertineret. Ergo hoc ipso argumento, quod involucris tàm anxiè tegunt Brandeburgici, ipsimet ostendunt palàm, tantam inter Sueciam & Poloniam esse amicitiæ conjunctionem, ut non aliâ ex causâ, pacem quietemque Borussiæ suæ à Suecis expectent vel prætendant, nisi quatenùs illa Poloniæ debetur, testimonium ferente illis conscientiâ, dum indicat ea quæ à nobis meruêre, & simul Borussiam Ducalem Majestati Vestræ Reique Publ. Polonæ, si non ultrà, saltem obsequio ad usum accommodato obiter reddit & restituit. Sed eatenùs tantùm facilè seriò concessuri sunt, ut Polona esse Borussia Ducalis videatur, quousq;

com-

commodis suis, & securâ pace frui possunt, in ijs verò ubi Sueciæ nocere, & hostilia agere tutò queunt ex Polonâ in merè Brandeburgicum transmutabitur. Si Borussia Ducalis Polonica ditio est? si pacem & tranquillitatem illi parare volunt, cur non permittunt illi facultatem eodem quo Polonia cum Suecis ritu vivendi? cur pacem quàm sibi vendicant, Suecis in eâdem Borussiâ Ducali negant? cur nos odio & invidiâ onerare nominé ejus apud vicinas gentes satagunt. Ut tacitus prætaream discrimen quod Generalis Major Illustris Dominus Baro Woldemarus Wrangel feliciter celeritate prævertit. Sacra Regia Majestas Sueciæ, ad Majestatem Vestram me misit munusq́ue dedit, quo licet inferius haberem securitas tutusq́ue tamen reditus in Patrias ditiones ubiq́ue jure gentium mihi pateret, Nec validâ ex ratione denegari, nec nisi nefariè violari securitas mea posset, ad minimum apud illum populum gentemq́; ad quam missus essem. Si Borussia Ducalis ad Poloniam pertinet, cur tutum mihi per illã, in Livoniam Suecicam transitum concedere recusant, qui ibi rebus præsunt, & si muneris mei sanctimonia, in Borussia Ducali, licet Polonica ditio sit, invalida est ut me Legatum à vinculis, & quæ ijs paria, forsitan & deteriora sunt, im̃unem servet, cùm existimet, sibi, quatenùs Brandeburgica est, quodlibet in me licere, cur non licebit pariter Regi & Domino meo, Borussiæ isti Ducali, quatenùs Polonica est parcere velle, sed quousq́; Brandeburgica est, ejus talem habere rationem, quæ digna sit affectu Serenissimi D. Electoris in Sueciam, & congrua meritis Borussiæ Brandeburgicæ, quà peccatum esset à Brandeburgicis in Borussia, contra leges amicitiæ, & jura gentium, ex eodem ipso

ſuppoſito, quo Polonicam eam eſſe ditionē contendunt, & unde ſibi Pacem & quietem conciliare ibidem conantur. Sed quamvis Regis & Domini mei arma, in Boruſſiā Ducalem penetrarent, nullū indè Reip. nedùm ipſi genti Boruſſæ quæ Electori ſubjecta eſt periculū extaret, quippe quæ communia nobiſcum ſacra habet, & à quâ rationes exigi non poſſunt eorū, quæ ab alijs admittuntur. Nec metuenda eſſet Poloniæ vicinia noſtra ijs in terris, quippe quæ non eſſet futura diuturna, nec quàmdiu duratura eſſet, alijs curis occuparetur, quàm ut conciliatâ nobis Polonorum amicitiâ, negotia noſtra absq; periculo ullo in Boruſſiâ Ducali ageremus, donec pacatis compoſitisq; diſſidijs foret exeundum. Porro ſi ex certâ civilis prudentiæ ratione, Majeſtatis Veſtræ Reiq; Publ: Polonæ pericula, metitur Brandeburgicus quidam, quod ipſi fortè & ſine controverſiâ concedendum ſit, utpotè cujus ingentem ſagacitatem, longiſſimo rerum uſu partam experientiam, ſtatûsq; Polonici exactiſſimam notitiam, vix quidquam fugere queat eorum, quæ Reip. huic ſalutaria, vel noxia futura ſint, ideoq; judicio ejus ſit ſtandum, quo cenſere videtur, ſi plurimis ex partibus ac veluti indagine, ambituq; Polonia ab exteris cingatur, id ipſi terrori eſſe debere æquū eſſet, ut ratio exactior axiomatis hujus iniretur. Sufficit in præſens tantùm indicâſſe, à Sueciâ Poloniæ hoc minus fore diſcriminis ſubeundum, quò minus longis regionum ſpatijs, & adeò anguſto in Livoniâ breviq; tantùm limite, ab illâ dividitur, ut paucorum milliarium ſpatio abſolvatur, inq; tali ſolo conſtituatur cujus poſſidendi deſiderio vix privati in cōtentionem aliquam invicem traherentur, nedùm integra Regna, & hæc duo potiſſimùm, quæ infinitis ſtatûs rationibus ad æternos

ſtrictiſ-

ſtrictiſſimæ amicitiæ nexus mutuò invitantur. Aliorum autem non meum judicium eſto, quid quantumq́; ſecuritatis & com̃odi Polonia ſibi polliceri poſſit & debeat ab alijs vicinis quorum terræ & ditiones non ad latera tantùm plurima hujus Regni longiſſimis terrarum tractibus porriguntur, ſed quorum etiam fines anfractibus ſinuoſis in viſcera intima Regni Poloniæ penetrant & ſeſe condunt. Qui oſtia maximorum fluminum qui ex Poloniâ & Lithvaniâ meant, & in æquor ſeſe exonerant, munitiſſimis arcibus & clauſtris, quaſi vinculis conſtricta tenent, qui orâ maris vix non omni Poloniam excludunt, qui exercitum validiſſimum perpetuò alunt; quorum amicitiæ fœderaq́; ab oriente ad occaſum expanduntur; quibus ex quolibet ferè negotio optima emolumenta, urbes, oppida, & ditiones quaſi ſorte obveniunt. Et qui forſitan etiam ſine decreto ſeſe in bona Creditorum immittunt, ſibiq́; vix unquàm deſunt, ubicunq́; & quandocunq́;, occaſiones temporum aliquam captandæ utilitatis, ex varijs artibus & cauſis anſam & facultatem præbent. Quæ omnia licet illis non invidenda ſint, quatenùs citra injuriam & detrimentum tertij ipſis affluunt, verumtamen an metuendi ſint nec nè facilè commonſtrant. Vidi & aliam cujusdam epiſtolam, quâ ſibi de Drahemio timere Brandeburgici videri volunt. Illuſtriſſimus verò D. Archiſtrategus Sueciæ, aſſerit de Drahemio onere aliquo afficiendo adhuc ſeſe nè cogitâſſe quidem, ideoque malitiosè hunc timorẽ ſimulari, ut Poloni ſiniſtrâ aliquâ ſuſpicione imbuti in Sueciam accendantur. Hoc etiam ad minuendum de Drahemio metum aſſeverare auſim, quod ſi Drahemium aliquâ ex cauſâ à Suecis afficiendum veniret, illos vix eo more illud occupaturos, quo ex

potestate Reip: in alienas manus transijt. Sentio epistolam sub manibus plus justâ crevisse. Oro Majestatem Vestram ut quemadmodum verè Regium & impervium suspicionibus malè fundatis pectus habet, ita quoque eas quæ in odium Regis mei gentisque Sueciæ conglomerātur relationes, & rumores contemnat, suoq; exemplo, universos & singulos subditos suos ut idem agant moneat. Rex & Dominus meus id mutuis officijs studijsq; agnoscet & demerebitur. D.O.M. Majestati Vestræ vitam longævam, salutem perennem, victorias multas Cocimensi pares, Pacem tandem, & quotquot ipsam sequuntur fructus, felicisque Imperij perpetuos successus, gloriamq; immortalem concedat & largiatur. Victricem denique Majestatis Vestræ dexteram exosculor, Regiæq; Majestatis Vestræ gratiæ favori & benignitati humillimè me commendo, & perpetuò maneo

Sac. Reg. Majest.
Vestræ

Gedani die 26. Febr. styl: vet: 1675.

ad omnem cultum & obsequia
devotissimus & paratissimus
Servitor

A. Lilliehöek.